

est tale; creatio enim est rerum subsistentium, & respicit esse, seu subsistere. (Ibid. ad 1.) Quod si aliquando Patres sic locuti fuerint, in eorum dictis subintelligenda est determinatio, in quantum homo.

Dices: De Christo predicatur simpliciter homo: ergo & creatura. Prob. Conseq. De quocumque predicatur inferius, predicatur, & superius; atqui creatura est superius ad hominem: ergo. R. N. Conseq. Ad Probat. N. Min. cum Auctore, qui in 3. d. 11. q. 1. art. 2. ad 2. dicit, quod creatura non sit superius ad hominem, quia creatura magis respicit esse, quam naturam; homo autem, quando predicatur, magis significat naturam, quam esse, seu existentiam; non enim formaliter est homo, quia habet esse, sed quia habet naturam humanam.

Quæritur 6. Utrum hæc propositio: Hic homo, designato Christo, incipit esse, sit vitanda? R. Affirmative (Hic art. 9.) propter duplicem rationem, tum ob Arianismum, tum ob falsita-

tem. Licet enim persona Verbi, pro qua supponit Christus, inciperet esse homo, non tamen incipit simpliciter.

Quæritur 7. Quid dicendum de istis propositionibus: Christus secundum quod homo est creatura: Christus secundum quod homo est Deus: Christus secundum quod homo est persona? R. (Ibid. art. 10. o.) primam esse magis concedendam, quam negandam. Secundam e contra magis esse negandam, quam affirmandam. (Ibid. art. 11. o.) quia terminus in reduplicacione positus magis tenetur pro natura, quam pro supposito. Ad 3. R. (Ibid. art. 12. o.) quod si homo sumatur omnino reduplicative, ita ut ly secundum reduplicet rationem formalem, cur sit persona, sit falsa; quia significaretur, quod in Christo foret persona creata, cujus radix esset ipsa humanitas. Admittitur tamen ut vera, si ly homo tenetur pro supposito, vel si specificative sumatur; hoc modo: Christus ut in humanitate subsistens est persona. Sed nullo modo est usurpanda, quia favet Nestorianis.

DISSERTATIO XVII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE.

D. Thom. Quest. 17.

ARTICULUS I.

Utrum Christus sit unum, vel duo?

Dico: (Hic q. 17. a 1. o.) Christus tum masculinè, quam neutralitèr, est unus, & unum; non duo. Prima pars est de fide contra Nestorianos, qui admitterent in Christo duas personas; unus enim masculinè significat personam. Unde in Symbolo S. Athanas. Non duo tamen, sed unus est Christus: & in Nicæno, Credo in unum Dominum Jesum Christum. Et ita definitur in Concil. Ephes. can. 13. Prob. utraque pars. (Ibid.) Licet unum neutralitèr sit naturæ significativum, & sint duæ naturæ in Christo, attamen unitas, vel pluralitas in Christo, sive neutralitèr, sive masculinè, non est accipienda secundum naturas, sed tantum secundum supposita; atqui unum est suppositum in Christo: ergo. Prob. Maj. Non potest dici Christus unus, vel plures, unum vel plura, nisi secundum quod possunt de illo predicari unus, vel plures, unum vel plura. Nam unumquodque dicitur tale, in quantum de illo predicatur tale, & si non predicatur, non est tale: sic Petrus non est homo, si de illo non predicatur homo; & e contra est homo, si de illo predicatur homo. Atqui non sunt aliqua duo, quæ possunt predicari de Christo; humanitas enim in abstracto non predicatur de Christo, sed tantum in concreto ratione suppositi: ergo unitas, vel pluralitas in Christo sive masculinè, sive neutralitèr non est accipienda secundum naturas, sed secundum supposita. Confirm. Licet in Petro sint duo, corpus, & anima, quia tamen de illo non predicatur, Petrus non est duo, sed unus, & unum.

Dices 1. Secundum Aug. & alios Patres, Christus est aliud, & aliud; atqui aliud, & aliud sunt duo: ergo. R. (Ib. ad 2.) intelligendos esse in sensu casuali, sic ut significant Christum habere aliam, & aliam naturam, ut expressè tradit Nacianzenus in Ep. ad Elidonium his verbis: Si oportet compendiosè dicere aliud quiddam, & aliud ea, ex quibus salvator est. Unde ad Min. D. aliud, & aliud sunt duo, si ly aliud tribuatur subiecto expresso in recto, C. quia tunc importat diversitatem naturæ, & suppositi, cum enim sit relativum substantiæ, propriè refertur ad suppositum; si ly aliud tribuatur subiecto in obliquo, ut, In Christo aliud est divinitas, aliud humanitas; in Christo aliud flagellis subicitur, aliud miraculis curascit, N. quia aliud sic attributum importat tantum diversitatem naturarum, quod verum est; in Christo enim est humanitas, sed tamen Christus non est humanitas. Unde dum S. Doctor q. 2. art. 3. dicit, ly aliud non importare diversitatem suppositi, hoc intelligebat secundum quod Christo a Patribus tribuitur, qui nempe intelligendi sunt in sensu casuali, ut diximus.

Dices 2. Tres personæ divinæ dicuntur unum neutralitèr ob unitatem naturæ: ergo Christus debet dici duo neutralitèr ob diversitatem naturæ. R. (Ibid. ad 5.) N. Conseq. Disparitas est quod in Mysterio divinæ Trinitatis natura divina predicatur etiam in abstracto de tribus personis; & ideo simpliciter potest dici, quod tres personæ sint unum. Sed in Mysterio Incarnationis non predicatur ambæ naturæ in abstracto de Christo; & ideo non potest simpliciter dici, quod Christus sit duo.

Dices 3. Album non est unum, sed duo, licet albedo non possit de albo predicari in abstracto: ergo nulla est ratio D. Th. R. N. Conseq. Quia album habet duo esse, substantiale

scilicet, & accidentale; unde oritur, quod sit duo. In Christo autem nullum est principium, ut possit esse duo; non suppositum, quia unicum est; non naturæ, quia una, scilicet humanitas, non predicatur de eo in abstracto, & aliunde non habet duo esse.

Potes, utrum possit dici, Christus est divinitas, & humanitas simul? Ex una parte multi Patres sic locuti sunt, Leo. Aug. Bern. &c. Ex alia parte damnatur in Concil. Constant. Sess. 15. hæc propositio Joannis Hus, Duæ naturæ Divinitas, & humanitas sunt unus Christus. R. 1. hanc propositionem esse damnatam in sensu non collectivo ad sensum Quæstionis, sed in sensu divisivo ad mentem Joannis Hus, ita ut secundum ipsum Christus esset seorsim humanitas, & seorsim divinitas, quod est dividere Christum. R. 2. hanc propositionem, Christus est divinitas, & humanitas simul, collectivè, non esse veram in sententiâ proprio, & formali; quia Christus plus includit, quam significant natura divina, & humana simul, nempe personalitatem, seu personam: & licet divinitas sit persona, tamen divinitas, & humanitas simul formalitèr, & reduplicative non est persona; sicut, licet divinitas sit æterna, attamen divinitas, & humanitas simul reduplicative non est aliquid æternum. Unde Patres, qui hunc modum loquendi usurparunt, intelligendi sunt in sensu identico, vel casuali: ita scilicet quod significent, vel quod Christus non est aliud, quam persona ex humanitate, & divinitate composita; vel quod sit persona composita ex humanitate, & divinitate unitis in hypostasi. Vel dicendum, quod abstracta pro concretis usurpaverint.

Quod autem non possit opponi, totum non distingui a suis partibus, verum est de composito physico, non de composito metaphisico; quod supra partes physicè componentes addit subsistentiam.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo sit unica existentia, eaque divina?

Dico (Hic art. 2. o.) In Christo est unica Verbi existentia. Est contra Scotistas, Suarez, & alios. Est tamen certè D. Thom. in hoc art. ubi ex professo inquirunt: Utrum in Christo sit unum esse tantum? & respondet affirmativè.

Respondent quidam Adversarii, qui S. Doctorem in suas partes, vel invitum trahere conantur, per esse intelligere subsistentiam. Sed contra 1. S. Doctor q. 2. ex professo disputaverat de subsistentia, & unam in Christo stauerat: ergo vel jam actum agit, vel de de illa hic non disserit, sed de existentia, de qua nullibi, nisi hic ex professo agit. 2. S. Doctor hic ad 1. loquens de esse, de quo egit in corpore, dicit, quod Personam, aut hypostasim consequitur, sicut habentem esse; atqui esse subsistentiæ, seu substantiæ non sequitur personam, sed eam constituit: ergo. Insuèr S. Doctor Quodl. 9. duplicem articulum instituit. In 1. quærit, utrum in Christo sit una tantum hypostasis, & in secundo utrum sit tantum unum esse, & respondit affirmativè, sicut hic. Evidens est autem, quod in hoc 2. articulo non loquatur de subsistentia, de qua egerat in primo. Quod etiam patet ex his verbis hujus articuli 2. Licet ipsum esse, inquit, non sit de ratione suppositi, pertinet tamen ad suppositum, & non est de ratione naturæ. Subsistentia autem est de ratione suppositi, siquidem ipsum constituat formalitèr. Itaque

Prob

Prob. Conclusio 1. ex Ep. Sophronii recepta, & approbata in 6. Synodo Gener. act. 11. ubi sic dicit de Christi humanitate, In illo itaque (scilicet Verbo) & non per semetipsam habuit existentiam unam. Respondent Suarez, Henno, & alij eisdem sententiæ, Sophronium ibi ostendere, quod humanitas nullo tempore reali existerit in semetipsa, antequam uniretur Verbo: ex eo autem, quod eodem instanti reali, quo exiit in rerum natura, exiit in Verbo, non sequitur exiitisse existentia Verbi, cum illa toto cælo differant, existere in Verbo, & existere existentie Verbi. Sed contra. Etsi verum sit, Sophronium ibi ostendere humanitatem Christi non habuisse existentiam prius tempore, quam uniretur Verbo; nihilominus simul docet, quod non habuerit aliam, quam ipsius Verbi, siquidem dicat habuisse existentiam unam; quod ultimum Verbum ad propositum suum omittit Henno. Item addit Sophronius, personam Christi compositam ex unitate subsistentiæ, habere unum esse, & permanere unum: permanentiam autem, seu durationem Suarez non distinguit ab existentia.

Prob. 2. (Ib.) ratione a priori. Persona existit ut quod, seu ut subiectum existentie, natura vero non ut quod, sed ut quo radicalitèr; atqui implicat, quod una persona, eaque divina, qualis est in Christo, existat duplici existentia substantiali: ergo. Prob. Min. 1. Videtur repugnare, quod persona increata Verbi existat existentia creata. 2. Existencia est ultima rei perfectio, & actualitas, qua sistitur extra omnes suas causas, & in qua sistunt earum casualitates; id enim importat formalitèr existentia: ergo implicat, quod persona habens unam existentiam sit capax ulterioris existentie; aliis prior non erit ultima actualitas, sed habebit rationem potentie respectu secundæ existentie. Confirm. Si humanitas Christi existere propria existentia creata, sequeretur 1. quod etiam subsisteret propria subsistentia. 2. quod non posset terminari subsistentia Verbi. 3. quod non esset unum substantiale, & per se cum Verbo, sed plura: ergo. Prob. 1. sequela. Existencia, cum, ut dictum est, sit ultima rei actualitas, qua est extra omnem dependentiam suarum causarum, supponit subsistentiam; subsistentia enim est quoddam complementum substantiale; quod debet haberi a causis; & aliunde dictum est, quod persona non natura sit id, quod existit: ergo. Prob. 2. sequela. Quod habet ultimum actum, non potest ulterius terminari; atqui: ergo. Prob. 3. sequela. Ut humanitas existens propria existentia faceret unum substantiale, & per se cum persona Verbi propria existentia existente, necessarium foret, quod una existentia se haberet per modum potentie, & altera per modum actus; atqui omnino repugnat conceptui existentie substantialis etiam creatae, quod sit in potentia ad aliam substantialem existentiam, ut jam dictum est: aliis esset, & non esset ultima actualitas: ergo.

Prob. 3. a posteriori. Si humanitas Christi prius natura existeret propria existentia, quam assumeret a Verbo, B. Virgo non foret mater Dei: atqui falsum, & hæreticum Consequens: ergo. Prob. Sequela Maj. Ut B. Virgo sit verè, & dicatur Mater Dei, terminus concursus illius in generatione Filii debet esse homo Deus; atqui ita non foret in casu Majoris: ergo. Prob. Min. In illo casu prius natura, quam Verbum uniretur humanitati, totalitèr esset terminatus concursus B. Virginis: ergo terminus hujus concursus non foret Deus homo. Prob. Ant. Concursus cujusvis causæ censetur totalitèr terminatus, & completus, quando effectus, quem producit, est existens; cum, ut sæpe jam dictum est, existentia sit ultimus terminus dependentie effectus a causis, totalitèr ipsum extra illas constituens: ergo in casu Majoris concursus B. Virginis totalitèr esset terminatus prius natura, quam Verbum humanitati uniretur

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Prius humanitas Christi exiit, quam sit assumpta a Verbo: ergo propria existentia, &c. Prob. Ant. 1. Prius est esse productum, quam esse assumptum: atqui productio alicujus rei terminatur ad ejus existentiam: ergo. 2. Vera est hæc casualis: Ideò assumitur, quia est; falsa vero hæc: Ideò est, quia assumitur: ergo. 3. Prius anima unitur corpori, quam humanitas uniat Verbo: ergo corpus, & anima prius existunt, quam uniat Verbo. Hæc Henno. R. 1. hoc argumentum, quod est adversarium præcipuum, unico flatu dissipari; dicendo nempe prioritatem, quæ hic intercedit, non esse nisi prioritatem, & ordinem rationis, eodemque instanti reali hæc omnia facta esse, animam scilicet creatam, corpori unitam, humanitatem productam, & a Verbo assumptam: unde non est quærenda existentia creata, ubi divina communicata est: sicut in sententia Thomistarum materia prima creata fuit prius prioritate rationis, quam totum sit productum; & tamen non habuit aliam existentiam, quam totius, quocum simul realitèr fuit concreata. Ceterum insistendo his rationis prioritatibus, & præcisionibus, R. 2. N. Ant. ad 1. probat. D. Ant. Prius (intelligendo semper Theol. Billuart. Pars Tertia.

de prioritate rationis) est esse productum completè, vel incompletè, quam esse assumptum, C. semper completè, N. similiter ad Min. Productio alicujus rei completa terminatur ad ejus existentiam, C. incompleta, N. seu Subd. Terminatur ad ejus existentiam formalitèr, vel concomitantèr habendam, C. semper formalitèr per ipsam actionem habendam, N. Consluè Dissert. 3. art. 3. Ad 2. probat. similiter. D. Ista casualis est vera, Ideò assumitur, quia est, si intelligatur quia est vialitèr, & in fieri, C. quia est in facto esse completè, N. Habet enim existentiam, & subsistentiam per assumptionem: unde nego, falsam esse hanc causalem, Ideò est, quia assumitur, si intelligatur de existentia in facto esse, & non tantum in fieri; seu de tendentia ad existentiam. Ad 3. N. Conseq. Quia ex prioritate rationis malè inferitur prioritas existentie, quæ est prioritas temporis:

Inst. cum eodem: Vel Christus assumpsit naturam humanam habentem esse extra causas, vel existentem in causis. Si primum: ergo habebat existentiam actualem. Si secundum: ergo Christus potius assumpsit causas humanitatis, quam humanitatem. R. assumpsisse naturam humanam habentem esse extra causas per propriam Verbi existentiam, ipsi sua assumptione communicatam.

Obj. 2. cum eodem. Tota ratio Conclusionis nostræ innititur hoc principio, quod existentia sequatur ad subsistentiam, non subsistentia ad existentiam; atqui falsum est istud principium: ergo. Prob. Min. Non potest concipi, quomodo possit natura prius subsistere quam, existere: ergo. Prob. Ant. Subsistere est ipsummet existere per se. Sicut ergo implicat, quod quis velocitèr currat, qui simpliciter non currit, ita quod existat per se, si simpliciter non existit; nec unquam dabitur disparitas, inquit confidentèr laudatus Theologus. R. 1. retorquendo argumentum. Existere per se est ipsum subsistere, ex Adversario: ergo non potest concipi, naturam substantialem prius existere per se, quam subsistere: ergo: si Verbum assumpsit naturam per se, existentem, assumpsit subsistentem; quod est Nestorianum. R. 2. N. Min. Ad probat. D. Ant. Subsistere adæquatè sumptum est ipsummet existere per se, C. Ant. inadæquatè sumptum, N. Igitur plus dicit subsistere, si adæquatè summat, quam subsistentia; subsistere enim importat simul subsistentiam, & existentiam. Unde, licet verum sit, quod subsistere sit existere per se; falsum est tamen, quod subsistentia sit existentia etiam in sententia adversariorum, qui dicunt, subsistentiam esse modum existentie. Subsistentia itaque ex suo conceptu essentiali importat tantum perseverantem independentiam ab alio tanquam a subiecto, & incommunicabilitatem ad aliud suppositum, cum adventu existentia, dicitur subsistere, seu existere per se. Unde natura cum sola subsistentia pro priori ad existentiam nondum concipitur actus existens per se, nec simpliciter existens, sed in via tantum ad existentiam per se: & ideo est disparitas de cursu veloci, quod qui currit velocitèr, reverà currat; qui autem habet subsistentiam tantum pro illo priori, reverà nondum censeatur existere, nisi vialitèr aut concomitantèr per existentiam advenientem.

Obj. 3. cum eodem. Si esset unica existentia humanitatis, & Verbi, humanitas, quatenus est ens in actu, non distinguetur a Verbo; atqui: ergo. R. D. Sequelam: non distinguetur a Verbo quoad esse existentie, C. quoad esse essentia. N. Et hoc sensu S. Th. in QQ. disput. q. de unione Verbi 2. 4. ad 1. dicit, quod esse humanæ naturæ non sit esse divinæ naturæ.

Obj. 4. Unio non est facta in aliquo absoluto communi toti Trinitati, aliis tres personæ dicerentur incarnatæ; atqui existentia est quid absolutum commune omnibus personis: ergo. R. D. Maj. Unio non est facta in aliquo absoluto communi primario, & immediatè, C. Alias, ut bene inferitur, sequeretur, quod tres personæ forent incarnatæ: secundario, & mediatè, N.

Obj. 5. Nulla divina perfectio potest actuare naturam creatam: ergo. R. D. Ant. per modum formæ intrinsicè informantis, C. per modum termini intrinsicè terminantis, N. Idem est ac de subsistentia. Existencia enim ex suo formali conceptu non petit actuare informativè, sed tantum terminativè; est enim actus ultimus terminans: licet tamen existentia creata utpote accidens non possit actuare sine informatione.

Obj. Epiphanius quidam in 7. Synodo act. 6. dicit, naturam distingui ab hypostasi, quod natura dicat humanitatem existentem, hypostasis autem addat subsistentiam; & Damasc. l. 3. de fide c. 3. dicit, Verbum assumpsisse humanitatem non privatam existentia: ergo. R. ad 1. intelligendum esse de existentia radicali. Ad 2. verum est, Verbum assumpsisse humanitatem non privatam existentia, quia habuit existentiam assumptam; non dixit autem Damascenus humanitatem non esse privatam propria existentia.

M

DIS.



DISSERTATIO XVIII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM.

D. Thom. Quæst. 18.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo sint duæ voluntates?

Ex variis principiis promanavit error negantium in Christo duas voluntates. (Hic q. 18. a. 1. o.) Quidam dixerunt, Verbum Christo fuisse loco mentis; unde in eo negabant voluntatem humanam, sicut & intellectum; & hic erat error Apollinaris. Huc etiã potest reduci error Manicheorum, asserentium, phantasticam humanitatem a Christo esse assumptam. Alii, statuentes unicam in Christo naturam, sive confusam, sive compositam, unicam etiã statuabant voluntatem; & hic erat error Eutycheris. Alii, asserentes duas personas, & vocantes suppositum humanum cum natura humana hominem Christum propter conjunctionem affectivam ad divinum suppositum, ponebant etiã unam voluntatem in Christo homine; & hic erat error Nestorii. Alii tandem, duas in Christo naturas asserentes in una persona, sed opinantes, quod natura humana in Christo nunquam moveretur proprio motu, sed solum secundum quod mota esset a divinitate, negaverunt in Christo esse duas voluntates, & duas operationes, seu volitiones, sed unicam, scilicet divinitatis; & hic est error Sergii Constantinopolitani, Macarii Antiocheni, Cyri Alexandrini, & aliorum, qui dicti sunt Monothelitæ a sua heresi: de quibus impræsentiarum agimus.

Dico. (Hic q. 18. a. 1. o.) In Christo sunt duæ voluntates, & duæ operationes, seu volitiones, divina & humana. Est de fide contra Monothelitas, decisa i. in Concil. Lateran. sub Martino I. deinde in 6. & 7. Synodo generali, ac tandem in Florentina; quorum verba infra referemus. Prob. ex Scriptura Luc. 22. Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Joann. 5. Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Et alibi similia. Prob. 1. pars (Hic q. 18. a. 1. o.) ratione, qua usi sunt Patres, & Concilia. Verbum assumpti naturam humanam perfectam, & integram: ad perfectionem autem nature humanæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, sicut intellectus: & aliunde per assumptionem nature humanæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his, quæ pertinent ad divinam naturam, cui competit voluntatem habere: ergo. Hinc fluit 2. pars. (Q. 19. cit.) Operationes sequuntur formas, quæ sunt agendi principia: ergo ubi sunt diversa principia, nempe diversæ naturæ, & diversæ voluntates, sunt diversæ operationes. Confirm. utraque pars. Christus fuit obediens, & meruit; atqui neutrum voluntate, aut operatione divina tantum: ergo & humana.

Ad quorum majorem elucidationem, & corroboracionem distinguendum est cum Sophronio in Synodica, & S. Maximo in Scholiis ad Ep. 4. S. Dionysii, triplex genus operationum in Christo. Quædam sunt merè divinæ, ut creatio, conservatio, &c. Quædam sunt merè humanæ, quas Christus exercebat virtute propriæ formæ, ac virtutis, ut comedere, bibere, flere, pati, &c. Aliæ sunt mixtæ, in quibus agit utraque natura, divina, ut causa principalis, humana ut instrumentum, quales sunt resuscitatio Lazari, cæci illuminatio, &c. (Hic) Sed in illis iterum distinguendum est: licet enim mortui suscitatio, cæci illuminatio, ut est a natura divina, ut causa principalis, & ab humana, ut causa instrumentali mota, sunt una tantum operatio; altera tamèn, & formalitèr distincta reperitur illic ex ipsa forma, & virtute humanitatis proveniens, puta clamare, tangere, spueri, loqui, velle, imperare, &c. Sicut artificiosa constructio scæmi est eadem operatio artificis, & securis; scisio tamèn secundum se est actio distincta, & propria securi secundum ejus formam.

Solvuntur Objectiones Hereticorum.

Obj. 1. S. Dionysius in Ep. ad Cajum, secundum alios c. 12. de Divin. Nomin. asserit, unam esse in Christo Dei-virilem operationem: ergo. R. Monothelitas hunc locum interpolasse, & Dionysium non dixisse unam, sed novam Dei virilem operationem. (Hic ad 1.) Potro per novam Dei virilem, seu Theandricam operationem non unicam operationem simpliciter significat Dionysius, sed duas adæquatè distinctas, sine compo-

sitione, aut confusione, & unam tantum unitate ordinis, & subordinationis, in quantum divina utitur humana, & humane participat virtutem divinæ. Solet etiã aliquando sola actio Christi humana vocari alio sensu Dei-virilis, seu Theandrica, propter nempe valorem, & dignitatem, quam haurit a supposito divino agente ut quod, seu propter communicationem Idiomatum; sed ultra illam, hoc sensu sumptam, datur de Christo altera physice, & entitativè divina, divinæ voluntati correspondens.

Obj. 2. S. Athanasius libr. de salutari adventu Christi dicit: Christum existisse sine voluntatibus carnalibus, & sine humanis cogitationibus, in imagine novitatis; Voluntas enim erat solius divinitatis. R. cum S. Maximo, S. Athanasium loqui de Incarnatione Christi, non verò de ejus vita: ita ut sensus sit, Incarnationem, & Nativitatem Verbi esse opus non commercii carnalis, sed solius Dei voluntatis.

Obj. 3. S. Gregor. Nazianz. Orat. 2. de Filio dicit: velle ejus totum Deificatum. Et S. Cyril. l. 4. Comment. in Joannem dicit unam cognatam operationem: Ergo. R. SS. Patres ita locutos fuisse propter utriusque operationis artissimam unionem, qua fit, ut, sicut natura assumpta dicitur Verbi propria, ita, & ejus actio dicatur deificata; seu divina, divinæque cognata. Ita S. Maxim. in Ep. ad Nicæandrum.

Obj. 4. Instrumenti, & ejus, quod movet, unica est operatio; atqui humanitas est instrumentum a divinitate motum: ergo. R. D. Maj. (Ibid.) Si intelligatur de operatione, quæ instrumentum a causa principali imprimitur, C. Maj. si intelligatur de actione instrumenti, quæ ex propria forma oritur, N. Sic constructio artificiosa cathedræ est eadem operatio & artificis, & securis, scisio tamèn ligni est actio distincta securi propria. Vide annotationem ante Sol. Obj.

Obj. 5. Unius est una voluntas; atqui Christus est unus ergo. R. D. Maj. Unius tam supposito, quàm natura: una est voluntas, C. Unius supposito tantum, & natura duplici, N. Et ad hanc sensum D. Min. N. Conseq. Inst. Unius agentis: una est voluntas; atqui Christus est unum agens: ergo. R. D. Maj. Unius agentis ut quo, & ut quod est, &c. C. Unius agentis ut quod, sed duplicis agentis ut quo N. Quia voluntas sequitur ad naturam, seu principium quo, non ad suppositum: & sic D. Min. N. Conseq. Urgebis: Voluntas inferuntur secum volentes: ergo unius volentis una est voluntas. R. N. Ant. Alias sequeretur, quod in Trinitate unicum foret volens, quia est unica voluntas. Ita S. Maxim.

Obj. 6. Voluntas in quolibet supposito est primum movens in suo ordine; atqui unicum fuit in Christo tale primum movens: ergo. Prob. Min. Humanitas movebatur a divinitate: ergo. R. N. Ad Prob. (Hic art. 1. ad 1. & 2.) D. Ant. Humanitas movebatur a divinitate ut instrumentum mortuum, N. ut instrumentum agens per propriam voluntatem, C. sicut ergo licet v. g. voluntas Sanctorum moveatur a Deo, hoc non impedit, quin hæc voluntas in eis dicatur primum movens respectu propriarum actionum, etsi secundum respectu Dei, ita & in Christo.

ARTICULUS II.

Quædam Quæstiuncula circa voluntatem Christi breviter resolvuntur.

Quæritur 1. Utrum fuerit in Christo voluntas sensualitatis? R. (Ibid. art. 2. o.) In Christo fuit sensualitas, seu appetitus sensitivus, qui participativè dicitur rationalis, & voluntas, quatenus natus est rationi obedire. Patet, quia Christus assumpsit humanitatem integram, adeoque naturam animalis, ad quam sequatur appetitus sensitivus, seu sensualitas. Advertendum tamèn, nullum in parte sensitiva Christi actum indeliberatum prævenisse ejus rationem; quia in eo nulla fuit carnis rebellio, seu summa totius partis interioris ad superiorem subjecto; & quidem perfectior, quàm in Adamo innocente; ut jam dixi.

Quæritur 2. Utrum fuerit in Christo duplex voluntas rationalis. R. (Ibid. art. 3. o.) Si per voluntatem intelligatur potentia, una fuit in Christo voluntas rationalis; duplex, si intelligatur actus, nempe una, quæ est natura, altera, quæ est ratio: quia eadem potentia fertur ad objectum, vel simpliciter, & absolute, vel

vel enim ordine ad aliud ut in media cum ordine ad finem, vel ad finem ex ordine mediolorum; utrumque enim continetur sub ratione boni: si priori modo, dicitur voluntas, ut natura; quia non per modum rationis, sed per modum nature movetur, sicut cum refugit, quæ sunt nature nociva, vel prosequitur, quæ sunt nature convenientia; & vocatur Thelysis a Da-masceno. Posteriori modo dicitur voluntas rationis; quia fertur in objectum comparando, & deliberando, & vocatur ab eodem Bulysis.

Quæritur 3. Utrum fuerit in Christo contrarietas voluntatum? R. negativè. (Ibid. art. 6. o.) Est de fide decisum in Concilio gener. 6. act. 4. & prius in Concil. Later. sub Martino I. Can. 15. Ratio est 1. (Ibid.) Quia contrarietas est oppositio in eodem circa idem: unde deficit contrarietas, si unum secundum unam rationem ametur, & secundum alteram rationem rejiciatur. Ideoque quævis voluntas sensualitatis, seu voluntas ut natura refugeret mortem ut nocivam nature, voluntas autem divina, & voluntas rationis appeteret ut bonam generi humano, non est contrarietas. 2. Quia volebat Christus voluntate divina, & rationis, ut voluntas sensualitatis, & nature moveretur secundum inclinationem suam, ita ut tamèn illi ejusque motibus perfectè dominaretur; nec moveretur, nisi in quantum voluntas divina, & rationis permitteret.

Quæritur 4. Utrum voluntas Christi semper fuerit conformis voluntati divinæ? R. (Ibid. art. 5. o.) Voluntas rationis saltem absoluta, & efficax semper fuit conformis voluntati divinæ, etiã in volito materiali, non tamèn voluntas sensualitatis, & nature. Prima pars (Hic) patet ex illo, quod dixi: Non sicut ego volo, sed sicut tu; quibus verbis explicat voluntatem suam divinæ voluntati conformari ex electione, & deliberatione circa idem volitum, quod secundum voluntatem sensualitatis, & nature refugiebat. Patet etiã ratione; quia id decet summam Christi perfectionem, & sanctitatem. Hinc sequitur (Hic) secunda, & tertia pars. Poterat enim appetitus sensitivus, seu voluntas sensualitatis, sicut & voluntas ut natura est, aliud velle, quàm ipse Deus, & voluntas Christi ut rationalis: utraque enim movebatur motu proprio naturali, illa prosequens, quæ sensibus erant commoda, & refugiens, quæ erant incommoda, ista appetens bona nature, & refugiens noxia; ita tamèn ut semper essent conformes divinæ voluntati, & voluntati rationis hoc sensu, quod nihil appetebat, aut refugiebat, nisi quod divina voluntas, & voluntas rationis permitteret velle, aut refugere.

Potes, utrum non possint admitti in voluntate Christi, ut ratio est, quidam actus inefficaces, & imperfecti, non conformes divinæ voluntati in volito materiali? R. nullam in hoc videri repugnantiæ. Sic poterat Christus voluntate rationis refugere inefficacitèr mortem, non præcisè ut nocivam nature, sed etiã secundum quod ex ea sententia erant varia peccata. Sic ex summa charitate volebat salutare omnium: sed & hi actus possunt dici etiam conformes divinæ voluntati, nempe efficaci.

ARTICULUS III.

Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.

Deo: (Ibid. art. 4.) In Christo fuit liberum arbitrium, hoc est, libertas a coactione, & a necessitate; utramque enim importat liberum arbitrium, ut docet S. Doct. q. 6. de malo, & alibi; & nos diximus, dum de Actibus humanis. Est quoad libertatem a necessitate contra Calvinum, Lutherum, & Jansenium l. 6. de Grat. Christ. c. 9. & l. 7. c. 15. & videtur quoad hanc etiã partem de fide decisa in 6. Synodo Act. 4. ubi definitur, fuisse in Christo omnes proprietates nature humanæ, adeoque & libertatem a necessitate. Prob. ex Scriptura. Isai. 7. dicitur de Christo: Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Et 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Ex S. Aug. Tract. 119. in Joann. Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit: Quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit: Idem Tract. 37. Item Cyrill. l. 7. in Joann. c. 7. Chrysost. in cap. 53. Isai. Greg. Cyprian. & alii. D. Thom. hic ad 3. Licet voluntas Christi sit determinata ad bonum, non tamèn est determinata ad hoc, vel illud bonum: & ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad Beatos.

Prob. ratione: tum ea, quàm hic adfert D. Thom. nempe in Christo fuisse voluntatem rationis, quæ est in unum cum ordine ad aliud, quod non est sine electione, quæ est liberi arbitrii; tum quia Christus assumpsit humanitatem perfectam, & integram: non datur autem perfecta, & integra humanitas sine libertate.

Obj. 1. difficilem auctoritatem D. Thom. in 3. d. 18. q. 1. art. 2. ad 5. ubi post adhibitam solutionem prius allatam ex præsententi art. ad 7. subdit: Vel dicendum, quod etiam esset determinatum. Pars Tertia.

minatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamèn ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, & meriti, quia in illud non coactè sed spontè tendit: & ita est actus sui dominus. Respondent plures, vel S. Doctorem hanc sententiam hic retractasse, vel illic loqui non ex propria sententia, sed aliorum, tum temporis probabili; siquidem priori solutione sæpius usus fuerit, hac autèm semel tantum. Missis his solutionibus, R. S. Doctorem velle tantum amorem beatificum in Christo quantumvis necessariam, ut fertur ad Deum, ut in se bonum, & regulatur scientia beata, fuisse tamèn liberum, vel ut fertur ad Deum, ut est ratio diligendi creaturas, vel ut regulatur scientia infusa. Nec obstant hæc verba: Quia in illud non coactè, sed spontè tendit. Quia tò non coactè, sed spontè idem est ac non necessario, sed liberè. Sæpius enim a S. Thom. & veteribus coactum sumitur pro necessario, & spontaneum pro libero. Siquè ita sumi, patet ex verbis subjunctis; Et ita est actus sui dominus; quod verum non foret, si intelligat de actu necessario. Eoque verior est hæc explicatio, quod juxta S. Doctorem liberum arbitrium non versetur circa Deum ut ultimum finem. De hoc argumento paulò latius dixi in Tract. de Act. hum. Dissert. de voluntario libero Art. 3. Confer.

Obj. 2. Liberum arbitrium se-habet ad utrumque: atqui voluntas Christi fuit determinata ad bonum, quia non potuit peccare: ergo. R. D. Maj. Liberum arbitrium se-habet ad utrumque contrarietatis, N. contradictionis, C. Et ita fuit Christus: imò etiã fuit liber quoad specificationem, non quidem contrariam, sed diversam, seu disparatam; juxta solutionem D. Thom. ad 3. supra cit.

ARTICULUS IV.

Concordia libertatis Christi cum ejus impeccabilitate.

Quæ articulo præced. diximus, constant inter Catholicos: sed gravior modo, imò gravissima difficultas est, quomodo salvetur libertas Christi in actibus præceptis, aut prohibitis cum ejus impeccabilitate. Vel enim potuit Christus ab actu præcepto abstinere, aut prohibito committere, vel non potuit. Si potuit: ergo potuit peccare. Si non potuit: ergo in eis non fuit liber, adeoque non meruit, maxime in morte subeunda, cujus mandatum habebat a Patre. Utrumque Syrtis. Miram sanè, quod in placita excurrerint Auctores, ut nodum hunc solverent. Undè

§. I. Referuntur varie sententiæ circa præceptum morientis; & impugnantur.

PRIMA SENTENTIA.

Quidam negant, Christo fuisse impositum strictum, & rigorosum morientis præceptum, sed latum, & improprium, proit significat insinuatam Dei voluntatem, qua decreverat ipsum pro salute hominum moriturum: præceptum, inquam, non obligans, sed dirigens, ut sunt regulæ quarundam Religionum, quæ tamèn sunt materia obedientiæ. Id aperit docet D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. o. ubi dicit: Voluntas Superioris, quocumque modo innovescat, est quoddam tacitum præceptum; & tunc videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellecta. Et hoc, inquam, genus mandati videtur magis congruere amori Patris in Filium, inducie de ejus virtute, ac dignitati ipsius Filii. Deinde, cum Christus esset absolute impeccabilis, non videtur fuisse capax præcepti propriè dicti, quod ubique includit comminationem culpæ, & poenæ, propriè dictæ.

Impugnatur.

Iuxta regulam generalem ab Aug. traditam & a Theologis communitèr admittam, verba Scripture sunt in proprio sensu accipiendi, quando inde nullum sequitur inconveniens; atqui Scriptura significat, præcepta imposita Christo; & si præceptum in proprio sensu accipiatur, nullum sequitur inconveniens: ergo. Secunda pars Minoris patet infra. Prima pars autèm exprimitur illo Joann. 10. Hoc mandatum accepi a Patre. Joann. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Joann. 15. Si præcepta mea servaveritis, sicut ego Patris mei præcepta servavi: ubi eodem modo vocat præcepta sibi a Patre imposita, quo ea, quæ ipse Apostolus imposuit, quæ erant propriè dicta: ergo. Nec obstat: quod dicit 2. Reg. 16. dicitur: Dominus præcepit ei, Semel, ut malediceret David, ibi intelligatur præceptum latè, & improprie; quia in hoc casu præceptum propriè dictum involveret absurdum, non in nostro.

2. In Christo fuit vera, & stricta obedientia, ex eaque mortuus